

seu vicarios aut officiales eosdem ex officio vel ad instantiam partium procedentes condemnantur ab impetitionibus potius absolvendi, sicque metu intrusionis ad carceres ut plurimum insupportabilibus pecuniarum summis iidem clerici et laici quamvis revera innocentes sint redimere vexationes huiusmodi minus debite compelluntur in ipsorum marchionis necnon clericorum et laicorum grave damnum ac dispendium et scandalum plurimorum. Quare pro parte ipsius marchionis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati volumus et auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, quod huiusmodi clerici et laici in dominio dicti Wilhelmi et successorum suorum marchionum Misnensium commorantes pro tempore de cetero per episcopum Misnensem suosque vicarios vel officiales pro tempore existentes in quibuscunque causis motis vel movendis, quarum cognitio ad huiusmodi episcopum seu vicarios aut officiales pertinet de consuetudine vel de iure, alibi quam ad civitatem praedictam, extra quam in partibus Misnensibus huiusmodi locus insignis et iuris peritorum copia ut asseritur non habetur, ad iudicium nequeant evocari, constitutionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, dum tamen episcopo et vicariis ac officialibus ipsis ad eandem civitatem tutus accessus fuerit et mansio sit segura. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud sanctum Petrum V. Id. Junii pontificatus nostri anno primo.

R<sup>ta</sup> gratis.

Jo. de Lyns.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 783. 1405. 6. Juli.

*P. Innocentius VII. erklärt auf Nachsuchen Markgraf Wilhelms, dass der von seinem Vorgänger Bonifacius IX. unter dem 22. Dec. 1402 ausgesprochene Widerruf aller von ihm gewährten Exemtionen von Domkirchen, auf die von demselben in Ausführung gebrachte Exemtion der Meissner Kirche, die vielmehr eine Restitution gewesen, eine Anwendung nicht erleide.*

Innocentius episcopus — ad perpetuam rei memoriam. Etsi cunctis orbis ecclesiis etc. Dudum siquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Wilhelmi marchionis Misnensis felicitis recordationis Bonifacio papae VIII. praedecessori nostro exposito, quod licet olim ecclesia Misnensis, quae sub temporali dominio ipsius marchionis fore dinoscebatur, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ab eius primaeva fundatione et creatione libera et exempta ac sedi apostolicae immediate subiecta fuisset, tamen postmodum eadem ecclesia . . . archiepiscopo Magdeburgensi pro tempore existenti metropolitico iure primo, et deinde . . . archiepiscopo Pragensi etiam pro tempore existenti cum legatus natus existeret iure legationis auctoritate apostolica per nonnullos Romanos pontifices extiterat subiugata in ipsius marchionis displicentiam et grande ipsius Misnensis ecclesiae libertatis detrimentum et gravamen; ac pro parte dicti